



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

III. Christus Magister.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

vester in calis, Saluator noster Christus, solus natus est filius Dei: Sed & nos & vos, filij vno modo facti sumus, sicut in Euangelio scriptum est, *Veni filius Dei: quos quos enim receperunt, dedit eis potestatem, ut filij Dei fierent*. Nos & facti sumus & dicimur: vos & facti estis, & non dicimini, quia pacifici esse non vultis. Nec audire ipsum filium Dei dicentem. *Felices pacifici, quia ipsi filij Dei vocabuntur*. Christus veniens, Deum & hominem reuocauit in pacem, & fecit ambos vnum: tollent mediam septem parietis, Vos nobiscum, id est, cum fratribus; pacem habere non vultis. Non enim potestis non esse fratres, quos iisdem Sacramentorum viscibus, vna mater Ecclesia genuit: quos eodem modo adoptiuos filios Deus Pater excepit. Vnde huius temporis praefatus Christus, quia futuram erat, ut à nobis hodie discordaretis, talia dedit orandi mandata, ut vel in oratione unitas remaneret, ut preces iungerent, quorum discrepantia fuerant partes. Oramus pro vobis, quia volumus & vos pro nobis: & cum non vultis, aut dicat unusquisque vestrum, *Pater meus, qui in calis es: & panem meum quotidianum da mihi hodie*: Et *dimitte mihi peccata, quomodo & ego debitori meo*. Igitur quae mandata sunt, mutari non possum. Videtis nos non in totum ab inuicem esse separatos, dum & nos pro vobis oramus, volentes: & vos pro nobis oratis, & si nolentes. Vides, frater Parmeniane, sancta gemina vincula inter vos & nos, in totum erumpi non posse.]

870 Hæc euidenter conueniunt, Hæreticos quoque esse fratres nostros generatione & Natiuitate, tamen mali & discoli sunt fratres. Quæ ratione satis difficultati in contrarium motæ, & aliis auctoritatibus Patrum, negantium Hæreticos esse fratres nostros: nempe dignos eo nomine, aut quatenus sicut filij Satanæ. Rem attigit S. Optatus priore loco, addit enim post verba citata. [Est quidam nobis & illis vna spiritalis natiuitas sed diuersi sunt actus. Nam & Cham, qui patris sui risit impiæ nuditatem, frater innocentium fuit: & pro merito suo ingum seruitutis incurrit, ut esset fratribus frater additus. Ergo hoc nomen fraternitatis, nec interueniente peccato deponitur.] Nyssenus quoque l. de Deitate Patris & Filij ac Spiritus sancti, agnoscit Hæreticos ex eodem nobiscum vtero Ecclesiæ editos esse, sed ait cum Psalte, certasse eos ab vtero. [Vterum, inquit, opinor eorum qui secundum Deum nascuntur, Ecclesiæ dici. Hæc enim in vtero suo gestans eos qui ad perfectionem in ea perueniunt, in lucem per fidem producit. Sed peccatores quemadmodum factus abortiuus ab vtero, abalienati sunt, & à vero atque germano ventre aberrauerunt. Non enim in materno sinu gremioque, video fidei desertores, & aio Prophetam de his loqui qui per fraudem seducti errant, nempe à ventre illos aberrasse. Errauerunt eo quod loquuti sunt falsa.]

Omnes igitur in Christo renati, sunt fratres nostri, ex eodem Patre Christo procreati, & in eodem lauacri vtero sati. Quare omnium fraternè diligendorum, ex hoc Christi titulo nobis necessitas iniicitur. Estque hic amor, stillicidium illius amoris quo in Christum communem patrem, omnes ferri tenemur, ut quæ sunt eadem vni tertio, sint eadem inter se. Non inficior tamen, præter hanc generalem omnium Christiana-

rum fraternitatem, ipso nomine antiquo *Christianitatis* expressam, (fraternitas enim, idem passim est in veterum scriptis, quod *Christianitas* vel *congregatio Christianorum*) inuectum esse aliud speciale inter Christianos fraternitatis genus, substitutum à Patribus & impio fraternitatis inuendæ modo, quod per humani cruoris potationem fiebat: vltimatumque à Barbaris & Orientalibus prodidit Lucianus Dialogo de amicitia; itémque Romanis in vsu fuisse, ex Catilinæ coniuratione notum est. Instituit ergo Christiani, ut qui peculiari ratione fratres esse vellent, sibi que certam fidem ac beneuolentiam spondere, simul ad sacram Eucharistia mensam accederent, simulque sacrum calicem haurirent *à se quosque* vocabant: Et sic ineuntes amicitiam & fraternitatem *à se quosque*. Sic Vitalianus in Epist. ad Hormisdam, dicitur *Iustiniani frater*; non sanguine ut inconsultissime conscripsit aliquis in S. Benedicti genealogia; sed hac quam dico, fraternitate ritu Christiano super sacram mensam inita, ut dixit Procopius in Historia Arcana pag. 30. Notans Iustinianum insignis perfidiae, quod postmodum fidem tam formidandam (sic appellat,) non esset veritus fallere, Vitaliano per suspicionem admissam trucidato. Eandem ob causam Strategius ararij Praefectus Iustiniani frater dicitur, in historia de templo S. Sophiae. Theodoricum Gotthum, hac ipsa ratione dictum esse Iustiniani fratrem, exposuit Theophilus præceptor Iustiniani. Hanc igitur specialem & nunc ferè obsoletam Christianorum fraternitatem, non abrogo cum omnes Christianos agnosco fratres; ad mutuum amorem, ex necessitudine tam arcta, firmissimè obstrictos. Sed illam fraternitatem exponere contentus fui, quæ omnibus communis est Christianum nomen præferentibus.



CAPVT III.

Christus Magister.

871 ONSEQUENTER ad titulum *Patris* proximè expositum, quandoquidem ut præmissimus initio capitis præcedentis, is quoque Pater dicitur qui est magister, ad Christi magisterium progredimur.

Christus fuit Magister, & quamdiu, ac quomodo, siue an etiam scripto.

Vendicat sibi Christus *magistri* titulum, dicitur Iohan. 13. verbis illis, *vos vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim*. Et Matth. 23. *Ne vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus*. Id ipsum quoque Prophetæ sapientis prodiderant Isaias cap. 55. *Ecce resem populus dedi eum, ducem & præceptorem gentibus* Joel 2. *Filij Sion, exultate & letamini in Domino Deo vestro quia dedit vobis doctorem Iustitiæ*. 70. habent, *dedit vobis alimenta Iustitiæ*. Sed idem est sensus, quandoquidem doctrina est pabulum

pabulum & cibus anima. Idem ferunt omnia propè loca quibus Christus dicitur *Propheta*. Nam hoc nomen, ex usu Scripturarum idem ferè sonat ac magister. Bene multa loca quibus Christus orbis Magister ac Doctor attribuit, colligit Galatinus lib. 3. de arcanis cap. 29. Mariniarius in Consonantia Christi & Prophetarum cap. de Christo prænuñciato Doctore. Acosta lib. 4. de Christo revelato cap. 1. Quamquam non tam necessaria in hanc rem videntur testimonia; siue Prophetarum, omnes Dei docibiles aut discipulos fore prænuñtiantium; siue ipsius Christi magistrum se contestantis in actu signato, quam munus ipsam docendi per aliquot annos à Christo obitum: non scripto quidem; sed voce, circummeundo Iudæam & Galilæam, ut filiis Israël quorum peculiariter magister erat delectus, propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum, doctrinam salutis, & cælestes disciplinas à se adinuñtas, conuersans cum hominibus traderet, iuxta Barnabæ Prophetiam.

Aio indefinitè Christum docuisse & magistrum populorum egisse per annos aliquot, ne in grauem & incipit resolutionis controuersiam de tempore prædicationis & magisterij Christi, cogar penitus descendere. Agitant eam diligenter Baronius in Appar. num. 83. & anno Christi 31. & 34. Ribera in cap. 13. Ioan. *initio*, Pererius lib. 1. in Daniele q. 6. Suarez Tomo 2. 3. partis disp. 30. f. 3. & passim Chronologi, apud quos ea nunc est receptior sententia, quæ Christum annis tribus & aliquot mensibus docuisse asserit. Ita enim colligi perspicue videtur, ex eo quod Christus baptizatus fuerit, & prædicare cepit natus annos circiter triginta; obierit autem anno ætatis 34. per menses aliquot inchoato, ut habetur ex subductione Paschaliæ festorum quibus Christum interfuisse, memorant Euangelia. Non prius visum est Christo docere, quia ut ratiocinatur Autor sermonis de ieiunio & Tentationibus Christi *initio*. Hac ætate, tempus doctrinæ insinuatum est rationale, & ante has metas perperam inuadi magisterium, data est forma: quia non competit annis impubibus sedere in Cathedra, & in primogenitis bouum, lege ratio est interdicta.]

872 Docuit itaque Christus per tempus, illud, & verbo, non scripto docuit; contra quam effutuerunt quidam Ethnici, libros se Christi legisse mentientes; Euangelicæ historiæ, & iis quæ de Christo Apostoli scripserunt, aduersantes, ut refert S. Augustinus lib. 1. de consensu Euang. cap. 9. & 10. & 34. & admirationem aliorum cur Christus nihil reuera scripserit, referens cap. 7. retundens verò eam Pythagoræ & Socratis exemplis, qui cum haberentur Ethnicis sapientissimi magistri, nulla tamen scriptorum monumenta reliquerunt. Addit autem cap. 35. Christum videri posse scripsisse per suos. [Omnibus (inquit) discipulis suis, per hominem quem assumpsit, tanquam membris sui corporis caput est. Itaque cum illi scripserunt quæ ille ostendit & dixit, nequaquam dicendum est, quod ipse non scripserit: quandoquidem membra eius id operata sunt, quod dictante capite cognouerunt. Quidquid enim ille de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tanquam suis manibus imperauit. Hoc vnitatis consortium, & in diuersis officiis concordium membrum sub vno capite ministerium,

quisquis intellexerit, non aliter accipiet quod narrantibus discipulis Christi in Euangelio legitur quam si ipsam manū Domini quā in proprio corpore gestabat, scribentem contemnerit. Quod negat Augustinus, ab ipso Christo per seipsum quidquam scriptis traditum, ad libros (ut vides) pertinet, quos à Christo conscriptos, fabulosos illi cum quibus agit, mentiebantur. Inde verò nihil prædicatur veritati Epistolæ quam à Christo conscriptam ad Abagarum describit Eusebius lib. 1. Historiarum cap. 13. memoratque in suo Testamento S. Ephrem, & S. Theodorus Suda Epistola ad Paschalem Papam, itemque Darius Comes apud S. Aug. Epist. 263. Et super istam etiam non fuisse temporibus Michælis Paphlagonis, qui anno Christi millesimo trigésimo 4. auspiciatus est imperium, scribit Cedrenus cū de Michæle Paphlagonia. Eam tamen Epistolam quod ab Euangelistis relata non esset, ne canonica Scriptura haberetur, venit Gelasia cap. *Sancta Romana*, referens eam inter Apocryphas scripturas. Quod quomodo cum veritate huiusmodi Epistolæ non pugnet excurrit Baronius anno Christi 31. num. 60. & Iacobus Gregerius lib. de imaginibus non manifestis cap. 3. Sed quamuis vere Christi esset, nihil hoc ad rem præsentem, cum ea Epistola non tradatur doctrina vlla, sed officio duntaxat reponendi, ei qui per litteras Christum adiecit, stat satis. Non docuit itaque scripto Christus, per seipsum; nec fuit necesse, ut ratio ex D. Augustino satis probat. Congruum autem non fuisse ut scriberet, et factum potius colligendum est, quā ex rationibus quas ad id proferit D. Thomas 3. part. q. 42. art. 4. Facile enim euertentur, ut & alia que in eam rem accumulatur Abulenſis q. 2. m. 1. Prologum. S. Hieronymus super Matth. Salmeron Tomo 2. Prolegom. 26. Anto. Petes Controuersia 1. in Euang. cap. 13. n. 91. Benzonius fuse lib. 1. am Cant. Deiparæ c. 13.

Dotes veri Magistri in Christo eximia.

873 Magisterij ergo Christi veritatem, statuamus ut certam; nec in ea, quippe explorata, ultra hæreamus. Illud potius veritandum est, quanto iure, quāque præcellenter Christus Dominus hunc sibi titulum deponat: quod eruendum est triplici capite perfectionum boni Magistri. Prima ad eius eruditionem ac idoneitatem ad docendum, spectat. Secunda ad doctrinam quam tradit. Tertia ad tractandi modum ac methodum. Clemens Alexand. Christum specie Doctoris nostri ac pedagogi describens lib. 1. pedagogi cap. 11. tres boni magistri prærogatiuas Christo proprias, aliter assignat. Postquam enim dixit, legem fuisse pedagogum puerorum indocilem nec nisi in ludos post latrocinium intentorum, addit quod lex eo munere fungebatur, aures præparans, ut vero pedagogo obedirent, qui est vnum & idem Verbum, legi quæ regerebat conueniens. Datum enim dicit Paulus pedagogum ad Christum, adeo ut ex hoc apertum sit, vnum solum, verum, bonum, iustum, ad imaginem & similitudinem Patris, Filium, Iesum, Verbum Dei, esse nostrum pedagogum; cui nos tradidit Deus tanquam Pater benecolus, & commisso germano pedagogo committens, & commendans filios, ut qui nobis dilucide præceperint, *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Fide dignus est diuinus pedagogus*, utibus rebus pulcherrimis

cherrimis ornatus. Scientia, benevolentia, dicendi libertate. Scientia quidem, quoniam est paterna Sapia. *Omnia enim sapientia est a Domino, & cum eo est in aum.* Dicendi autem fiducia, quoniam Deus est & opifex. *Omnia enim per eum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Benevolentia autem, quoniam solus pro nobis scriptum hostiam tradidit. Ego has tres boni magistri dotes, ad primam & tribus quas proposui, reuocabo: quia omnes spectant ad plenè formandum magistrum. Scientia enim qua polle- re supponeretur, si deesset eam communicandi animus atque voluntas, perinde se haberet, ac si nulla esset. Quare insistamus tribus illis quæ dixi capitibus, eruditioni magistri, doctrinæ per eum traditæ, & modo tradendi quo vitur. Penes hæc omnia capita, Christus præcellenti modo est magister.

Eruditio Christi Magistri.

874 Ac primum eruditio & scientia huius magistri, perfecta habetur ex latè disputatis de omnibus sapientiæ & scientiæ Dei thesauris in Christo additis, ut est apud Apostolum Colof. 2. Et hæc ex causa Psalm. 2. Christus vocatur *Disciplina*, ut bis illis quibus David totum psalmum obsignat, cohortans Reges & Principes ut Christo adhererant, & datum cælitus magistrum audiant. *Apprehendite disciplinam 70. & timete dominum eius, adorare disciplinam a Patre missam*, velut ibi monet S. Hieronymus verti posse Hebræas voces, *adorate filium*, siue ut alij volunt *osculamini filium*. Quas omnes lectiones eodem recidere, S. Hieronymus obseruat l. 1. Aduersus Rufinum a quo inconstantia notatus fuerat, quod nunc vno, nunc alio ex modis prædictis, expressisset eum Psalmis versiculum. Dicitur itaque Christus *in sa disciplina*, eodem sensu quo ab Apostolo dicitur *Dei sapientia*, ob plenitudinem nimirum sapientiæ & scientiæ, quæ ex eo ad omnes exundauit: iuxta illud Ecclesiastici 24. quod de sapientia incarnata merito accipiunt Interpretum plerique, posuit David puero suo excitare Regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem in sempiternum. Qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus novorum. Qui adimplet quasi Euphrates sensum: qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis. Qui mittit disciplinam sicut lucem, & assistentem quasi Gehon in die vindemia. Qui perficit primus scire ipsam, & infirmos non instigauit eam. Amari enim abundauit cogitatio eius, & consilium illius ab abyssu magna. Ego sapientia effudi flumina. Ego, quasi rames aque immensa de fluuiio, ego quasi flumini diorix, & sicut aquaductus exiui de paradiso. Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi rames abundans, & flumini mens appropinquauit ad mare, quoniam doctrinam quasi auelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam usque ad longinquum. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus sapientiam, & non desinam in progenies illorum usque in eum sanctum. Videte quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem.

Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.

Non potuit plenius ac magnificentius, exundantissima Christi sapientia, & obundi ex eo capite magisterij aptitudo, proponi.

Eodem pertinent veteres typi duo, alter Cherubinoꝝ arce appositorum, eamque contigentium, ut habetur 3. Regum 6. quæ causa est, cur Deus toties dicatur *sedere super Cherubim*, ut psalm. 79. & 98. & Isaia 39. monetque D. Hieronymus Epistol. 143. corrigendos esse eos, qui prout ait, errore dicebant *qui sedes super Cherubim & Seraphim*. Causa enim appositorum arce, non Seraphinoꝝ, sed Cherubinoꝝ fuit, quia arce Christum Dominum exhibebat è quo nobis diuina oracula insonuerunt: quique fuit nobis propitiatio. Cherubim autem sonat plenitudinem scientiæ, ut sapè docet S. Hieronymus, & nominatum lib. 1. Commentariorum in Epistol. ad Ephes. *serè in fine*, & Epistol. 103. & in c. 10. Ezech. Ut igitur constaret Christum esse sapientissimum, adiuncta est arce hinc & inde species Cherubinoꝝ, non autem Seraphinoꝝ, qui à scientia non sunt denominati. Vnde non dicitur *Deus sedere super Seraphim*, quod Ribera (correcto. Abulensi in cap. 25. Exodi q. 19. qui aliter dubium illud enodat,) rectè annotauit.

Typus alter quem proponebam, est lapidum rationali insertorum, & pectori Pontificis appressorum. *Vrim & Thummim* vocabant, quos petbeile in Christum cadere diximus supra f. 2. c. 20. etiam alij præterea allegorici & mystici sensus proflent apud Ribera l. 3. de Templo cap. 12. Ad rem verò præsentem, optimè facit quod Elia 2. c. 7. Sacerdotes quidam cum non inuenissent Scripturam Genealogiæ suæ, expuncti sunt & prohibiti se gerere pro Sacerdotibus, & concedere de Sancto Sanctorum, donec surgeret Sacerdos doctus atque perfectus. In Hebræo est, *donec staret Sacerdos ad Vrim & Thummim*, id est, *donec adueniret Sacerdos habens perfectionem & doctrinam*. Quo pacto verti possunt voces illæ Hebrææ, ut liquet ex ea, 3. Deuter. ubi cum agitur de data Leui Pontificia dignitate, memoratur *Vrim & Thummim*. Latine autem dicitur *perfectio tua & doctrina tua, viro sancto tuo*. Eum ergo Sacerdotem ad *Vrim & Thummim*, siue doctum & eruditum, qui expectandus pronuntiatur, apud Elidram non est quilibet Sacerdos habens rationale & oraculum è lapidibus & appositis: nam ut notat Vatablus, *Vrim & Thummim* non fuerunt in secundo templo. Est ergo Christus Dominus, qui verè est Sacerdos doctus & eruditus, habens in pectore suo illuminationes & veritates.

875 Verè doctus & eruditus, qui ita doctus est, ut numquam fuerit indoctus: ita magister, ut numquam fuerit discipulus. Christus enim, vel spectatur prout Deus, vel prout homo. Neutro autem modo, fuit vquam vel ignorans, vel discipulus. Nam prout Deus, sicut habet eandem cum patre substantiam, ita & scientiam. Vnde non laborauit vquam ignorantia, nec scientia vquam caruit, ut eam ab alio posset haurire. Prout homo autem diuinæ sapientiæ fontem, ab initio suæ productionis deriuatum in suam animam, habuit. Ratione enim vnionis ad Verbum, sanctissimus ille intellectus, iam ex primo momento collustratus est.

LLI

plenif

plenissime, ita ut non egerit discipulus esse, vel aliquid aliunde addiscere. Delitantes pro more Iudaei apud Oforium lib. 2. de Sapientia pag. 91 fingentes, Christum initio imperitum, euasisse dolo in virum sapientem. Nec saniores Ethnici illi, quos S. Augustinus Epist. 34. in fine, confutatos à S. Ambrosio scribit affirmantes Christum de Platonis libris profecisse: Id quod etiam in Celso ridet Orig. l. 6.

Alij magistri & Doctores dicuntur, sed si sapiant, ac vel quantumlibet desipiant, cogentur frequentissime de seipsis profiteri, quod de se Augustinus serm. 122. de Diversis. [Doctores dicuntur, sed in multis Doctorem quærimus.] Christus quia plene doctus & eruditus, alium Doctorem quærere necesse non habuit, cui omnia nuda erant & aperta. Præ eo, omnes qui docti audiunt, pueri sunt habendi; eoque nomine donantur à Christo loquente per Esaiam *ecce ego & pueri mei*. Hoc nomine designatos omnes homines, eosque præ hoc magistro pueros esse, sic docet Origenes hom. 7. in Isaiam. [Factus in sanguine, pueroz causa qui communicauerunt carni & sanguini, quasi paruulis loquens, loquitur non diuina & ineffabilia, sed quæcumque capere possent paruuli. Paruuli autem omnes homines sunt, si eos comparas ad perfectionem Verbi: licet Moysen nomines; licet vnum dixeris de Prophetis; licet Ioannem quo maior in natis mulierum nemo fuit, licet ad Apostolos venias; Petrum, cui porta inferi non inualecent, vel Paulum qui raptus est usque ad tertium cælum, & audiuit indicibilia verba, non deponis eorum gloriam, dicens, quia & ipsi in eis quæ intellexerunt, comparatione eorum quæ non intellexerunt, paruulorum disciplinis eruditi sunt, quæ hominibus traduntur. Dicit ergo Saluator, non de his quos Paulus in Christo paruulos nuncupat, & asserit lacte potandos, & non forti cibo, sed de omnibus simul hominibus; *Ecce ego, & paruuli mei quos mihi dedit Deus*. Verum quomodo in pueris alij sunt alijs acriores, & ea quæ eis sunt tradita velocius consequuntur: sic inquam similem ingeniosis pueris factum Moysen, & Prophetas, sed & Domini nostri Iesu Christi Apostolos. Propterea sentientes semetipsos, qui etiam si profecerint, pueroz profecerunt, profectu dixerunt. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*. Nec enim adhuc veritatis negotia, sed vmbas negotiorum conspicebant, nec plenam lucem, sed obscuram imaginem. Ideoque repetebant, dicentes; *Videmus nunc per speculum, & in enigmate, tunc autem facie ad faciem*. Quis ergo hæc legens & intelligens, inflabitur & erigetur super scientiam, seu super quodcumque donorum? Etenim cuncta quæ ad pueros deuenerunt, multo inferiora sunt his quæ reposita sunt viris. Debent ergo non eleuari, & superbire ij qui videntur inter pueros acrioris ingenij & velocioris. Istos autem pueros, homines dicit omnes, quos & Saluator demonstrabat; *Ecce (inquiens) ego, & pueri mei, quos mihi dedit Deus*. Donum accepit & Saluator à Deo.] De eruditione magistri nostri putoliquere.

876 Iam doctrina quam tradidit excellentia, (quod erat secundum caput prærogatiuum boni Magistri,) perspicue demonstrari potest, ex eo quod perfecta doctrina, verèque eo nomine digna, duas ob causas dicitur. Nimirum primo quia vacat errore, secundo quia est veritas utilis ad hominis perfectionem plenam. Etenim tendit scientia creata vniuersa, ut hominem vnde cumque perficiat: in se quidem & formaliter quoad intellectum, radicaliter autem quoad voluntatem, cui intellectus prælucebat, quæ nisi scientia hoc habeat, ut & errore sit libera, (alioquin intellectum non perficeret,) & possit saltem remoueri, esse sementis sanctorum affectuum, quod habent omnes veræ scientiæ, etiam si speculatiuæ, digna non erit, quæ nomen sibi ac decus vendicat veræ scientiæ. Defectu puritatis ab erroribus, vix est disciplina vlla humana, quæ mereatur nomen scientiæ. Tam multi enim errores paucis veritatibus admixti sunt, ut non abs re Valerius (sic certe & concinne) nostras doctrinas appellas voluerit nomine *doctrinæ errorum*, laudens Socratem, quod naturalium quæ nobis sunt atque imperia studio abstinens, ad mores animi appulisset. S. Petrus non abusu, humanas disciplinas vocauit *doctrinæ fabulas*, ut videntur sanè Cardinalis Cusanus non vnum illud nomen opus, sed omnia quæ de naturalibus disciplinis conscribuntur volumina, inter se potius, aut æque etiam debuisse, *de doctrina ignorantia*. Melior item S. Augustinus 1. Confess. c. 13. ait vix quæ olim in liminibus Grammaticarum Scholarum pendebant, non illa magis honorum secreti, quam tegumentum erroris significasse. Extulit Grammaticam pro recepto apud philosophos usu, pro omnibus humanioribus disciplinis, ut factum est à S. Gregorio, increpante Sanctum Desiderium Viennensem, quod doceret Grammaticam. Idem verò multo potius iure dicere poterat Augustinus, de superioribus naturalibus disciplinis; quæ ut circa res, non circa voces & orationem distinguuntur, ita multo magis sciant erroribus. At defectu vilitatis, saltem remotas, ad mores bonos, pleraque humane notitiæ, dampnantur vanitatis, & sordent curiositatis lebe; suntque eiusmodi, ut præstet ignorantia opposita laborare. [Melius enim est bene ignorare, quam turpiter scire,] ait S. Chrysostomus hom. 5. de Providentia. Quod ipsum aliter dixit S. Augustinus cap. 17. Eucharistij. [Sunt quedam quæ nescire, quam scire, sit melius.] Quid quod omnis scientia naturalis, etiam si verè scientia, hoc habet ut nocere possit obuiolando, dum inflat. Id quod S. Greg. 13. Moral. cap. 16. pulchre notauit.

Caret nauis omnibus scientiæ nostratis.

877 Nullus horum scientiæ nostratis tutorum, locum habet in tradita per Christum magistrum doctrina. Est enim ab erroribus purgatissima, & nullo falsitatis fermento commaculatur. Nec tantum prout à Christo primum manauit, & ex eius sanctissimo ore profuxit, sed etiam

etiam provt ad nos usque, per manus devenit, puritatem fontis sui etiamnum retinet: itayt Saran quantumcumque omnibus artibus & machinis, imo & vi in pacta, confusus sit falsitate aliqua Christianam veritatem inquinare, nihil tamen profecerit. Nam quod apud Hæreticos, doctrina Christi, videtur admixto errorum limo fordere, non ita est. Nulla quippe apud eos est Christi doctrina, sed merum vaniloquium, & figmentum obscurati insipientis cordis eorum, sonantis externa specie Christum, eiusque doctrinam: cum tamen distet ab ea quàm longissime; nec nitatur eo vero ac firmo motivo, quo Christus voluit nisi doctrinam suam; nempe diuinæ auctoritatis reuelantis, sed baculo arundineo proprii iudicii, vt plenius traditur 22. Itaque qui verè habent Christi doctrinam, eam habent omnino puram, & quorumvis errorum admixtione planè liberam. Nonnullis quidem luciosis, alicubi continere videtur pugnantia, ac proinde falsitate infici aliqua ex parte. Tamen prorsus abesse omnem pugnam ab omni Christi doctrina, multi ex professo demonstrant. Ex antiquis S. Gregorius libello interrogationum triginta quatuor qui habetur in Editione Parisiensis 1586. Iulianus Tolertanus in opere *de scriptis* Extat in appendice Biblioth. Colon. n. Ex nuperis verò Cumitanus, recensque vno indice Tyrinus.

Est item Christi doctrina verè utilis, vt iure potuerit Christus profiteri apud Ilaam cap. 48. *Dominus Deus meus me & spiritus eius: hac dicit Dominus redemptor tuus sanctus Israel ego Dominus Deus tuus, dicens te utilis.* Nam alij plerumque magistri nugis & inutilibus veritatibus, (si tamen veritatibus,) iis quos erudiunt instillandis, occupantur. Vnde animam macilentam, & huiusmodi edulitiis malè nutritam, dimittunt. Non item doctrina Christi, vt pulchrè pro equitur Clemens Alexandr. 1. Strom. cap. 2. *sub finem:* Doctrinam physicam comparans nucibus, quorum maxima pars non est esculenta. Ibidem autem cap. 9. placentulis & bellariis eam confert. libro autem 7. cap. 6. confert disciplinæ Elementariæ; eoque Apostolum Coloss. 2. Sola Christi doctrina, quia succi plena est, sicut adipe & pinguedine replet animam. Eiusmodi mentis pabulum adipale, est recta de Deo doctrina, quæ ante Christum planè abdita erat. [Imago & similitudo Dei, multis laboriosisque prouectibus, propriam sibi indicat dignitatem. Ad hanc rerum adeo profundarum indaginem nisi incarnati Verbi magisterium accessisset, humana defecissent ingenia: & nescio si & aliqui auderent ad hæc tentanda conatus assurgere: sed associata carni diuinitas, assumptam naturam ex parte, suæ voluit esse claritatis confortem, & apertis cælis super Doctorem & Dominum nostrum ad superiora nostrum introducere aspectum: & vidimus gloriæ eius quasi vnigeniti à Patre: & ei plenitudine gratiæ & veritatis quæ in ipso est, instillata est nobis aliqua portio. Et cum Philippo audiuimus: *Qui videt me, videt & Patrem.*] Et serm. de Natiuitate Christi. [Conciliarius quoque dictus est paruulus iste, qui & aibi dictus magni concilij Angelus, eo quod secreta Dei, quæ ab hominibus erant abscondita, publicè reuelauit, & cum nemo nosset patrem, nisi filius, ipse arcana Dei reuelans indaginem Trinitatis explicuit: loquens patris, & à Patre responsum accipiens, & Spiritum

Theoph. Raynandi de Attrib. Christi.

sanctum infundens discipulis, generationis & processions intimans rationes, subtiliter astruens personarum proprietates, & indissolubilis essentia unitatem. Alia quoque inferiora, sed tamen necessaria concilia edocens: vt beneficia collata homo intelligat, vt in eo quod stat, gratias agat, & quod possibile est ex Dei gratia, cum ceciderit resurgat.] Quæ utilior tradi potest ab vilo magistro sapienti?

Neque verò timendum est à Christi doctrina, damnum illud quod naturalibus quibusvis scientiis velut ligno teredinem adnasci dicebam; nempe inflationis, cum potius scientia ad humilitatem erudiat; hominemque in oculis suis vilem faciat quod S. Gregorius optimè aduertit 26. Mor. cap. 11. tractans illud, *qui docet nos super inuenta terra, & super volucribus cali erudit nos.* Christum ea ex causa, *Perfectum Magistrum*, quod doctrina eius innocentiam audientibus indat, nominat Tertull. c. 45. Apolog.

Argumenta specialia praelectionum Christi Magistri.

878 Hæ sunt (generatim loquendo,) lectiones quibus Christus Magister optimus, imbuat discipulos tradens eis doctrinam frugiferam & innoxiam, pabulum sanctum ingeniorum. Sanctæ dilectionis nomine, eas omnes lectiones comprehendit, sic monstrat Autor sermonis de baptismo Christi apud Cyprianum n. 6. agens de præcepto dilectionis. [Verè, (inquit,) hoc mandatum legem completur & Prophetas, & in hoc verbum omnium scripturarum volumina coarctantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc Domine, verbi tui clamat auctoritas: hoc ex ore tuo audiui; hic inuenit consummationem omnis religio; primum est hoc mādatur & vltimum; hoc in libro vitæ conscriptum, indeficientem & hominibus & Angelis exhibes lectionem. Legat hic vnum verbum, & in hoc mandato meditetur Christiana religio, & inueniet ex hac Scriptura omnium doctrinarum regulas emanasse: & hinc nasci & huc reuerti, quidquid Ecclesiastica continet disciplina, & in omnibus irritum esse & frivolum, quidquid dilectio non confirmat.] Nimirum tamen sunt alia præterea virtutes, quarum exercitationem Christus magister nos docuit: tamen in dilectionis sanctæ veluti radice fundantur, & radicanur omnes alia, in quas Christi discipulis incumbendum nauiter est, si digni videri ac esse eius Schola, volumus.

Specialiter verò virtutum fundamentum, & totius innocentia: basim, humilitatem inquam, Christi magisterio inseri cum alij Patres infinites tradunt, tum luculenter, S. Augustinus lib. de sancta Virginit. cap. 35. tractans illud Matthæi 11. *Disce à me quia mitis sum & humilis corde.* Quod sic expendit. [Cum magnitudinem suam supra commemorasset idipsum volens ostendere, quantus propter nos quantillus effectus est: *Confiteor*, (inquit,) *tibi Pater Domine cali & terra, quoniam abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Ita Pater, quoniam sic placitum est coram te; Omnia mihi reuelata sunt à Patre meo, & nemo cognoscit filium nisi pater, & nemo cognoscit patrem nisi filius, & cui voluerit filius reuelare: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & discite à me* quoniam

quoniam mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Ille ille cui omnia tradidit Pater, & quem nemo agnoscit nisi Pater, & qui Patrem solus agnoscit, & cui voluerit reuelare; non dicit: *Discite à me*, mundum fabricare, aut mortuos resuscitare: Sed, *quia mitis sum & humilis corde*. O doctrinam salutarem, o magistrum dominumque mortalium! quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est. Noluit docere, quod ipse non esset, noluit iubere, quod ipse non faceret. Video te bone Iesu oculis fidei, quos aperuisti mihi, tamquam in concione generis homini clamantem atque dicentem, Venite ad me & discite à me. Quid obsecro te, per quem facta sunt omnia fili Dei, & idem qui factus es inter omnia fili hominis? Quid ut discamus à te, venimus ad te? *Quoniam mitis sum*, (inquit,) *& humilis corde*. Hucine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi in te, ut hoc pro magno discamus à te, quoniam mitis es & humilis corde? Itane magnum est esse paruum, ut nisi à te qui tam magnus es fieret, disci omnino non posset? Ita planè. Non enim aliter inuenitur requies animæ, nisi in quieto tumore digesto, quo magna sibi erat, quando sibi sana non erat. Audiant te & veniant ad te, & mites atque humiles esse discant à te, qui misericordiam & veritatem tuam requirunt, tibi viuendo; tibi, non sibi.]

Et inferius cap. 37. conuersus ad Virginem: [Non ego te (inquit,) ut discas humilitatem, ad publicanos & peccatores mitto, qui tamen in regnum cælorum præcedunt superbos; non ad hos mitto. Indigni sunt enim, qui ab immundiciæ voragine liberati sunt, ut ad eos imitandos mitatis illibata Virginitas. Ad Regem cæli te mitto, ad eum per quem creati sunt homines, & qui creatus est inter homines, propter homines: ad speciosum forma præ filiis hominum & contemptum à filiis hominum, pro filiis hominum, ad eum qui dominans Angelis immortalibus, non dignatus est seruire mortalibus. Eum certe, humilem non iniquitas sed charitas fecit: charitas quæ non æmulatur, non inflatur, non querit quæ sua sunt: quia & Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est de illo; *Opprobria exprobrantim tibi ceciderunt super me*. Vade, veni ad eum & discere, quoniam mitis est & humilis corde. Non ibis ad eum qui oculos ad cælum levare non audebat onere iniquitatis, sed ad eum qui de cælo descendit pondere charitatis. Non ibis ad eam quæ Domini sui pedes lacrymis rigauit, querens indulgentiam grauium peccatorum, lauit pedes seruorum suorum.] Superbum doctorem Simonem Tornacensem, cum de altissima doctrinæ Christi humilitate disliceret, diuina vltione castigatum horribiliter, quod à tali doctrina abhorrebat eius vita, refert Cantipratanus l. 2. Apum cap. 48. n. 5.

Modus docendi à Christo adhibitus, præcellentissimus.

879 Prærogatiua tertia boni Magistri, spectat modum docendi, siue tradendi doctrinam bonam, de qua hætenus. Ex hoc quoque capite, Christus Magistri optimi decus tulit. Et imprimis ex eo perspicua est Christi in ducendo præcellentia, quod doctrinam suam accommodare notat audientiæ. In quo grauissimè peccant quam-

plurimi, non considerantes, pro qualitate audientium formari debere sermonem docentium, ut pulcherrimè differt S. Gregorius. 30. Mor. cap. 5. & 6. ed aptans illud Iob. 38. *Quis dedit galli intelligentiam?* Gallum exponens Doctorem facrum; intelligentiam autem interpretans, eam discretionem qua nouerit quibus, quid, quando, vel quomodo, verbum veritatis inferre debeat. Hac intelligentia destituuntur, qui putem suæ lacum operiunt, nec adhibent aperculum, vti betur Exodi 22. idest Interprete S. Cyrillo lib. 7. de adorat. & S. Gregorio 17. Mor. cap. 13. Grædia sublimiæque mytheria proponunt rudioribus eorum captum, vnde contingit eorum exitium. Non ligant isti aquas in nubibus, ne erumpant pariter deorsum, simul omnem prædicationis plenitudinem effundentes, quod magna imprudentiæ meritò damnat ibidem S. Gregorius. At Christus (quippe Dei sapientia,) doctrinam suam ad captum audientium accommodabat: iis, qui perfectiores erant, altiora proponens, rudioribus verò non aperiens mysteria regni Dei, nisi in parabolis. Cuiusmodi procedendum diuina doctrina tradenda, S. Thomas, Opusc. 69. art. 14. congruitates pleræque adhibet: Et multas quoque proponit Sanders de Christi parabolicis disputationibus latè agens, lib. 2. Theol. Symbolicæ, Commentar. 4. Exerc. 1. Sed ea quam proposui, videtur præcipua, & ab ipso Christo insinuat in Euangelis.

Conformabat se Christus ea in parte, ætæno Patri: ut propterea Theodoretus lib. 3. Diu. Decret. c. De eodem veteris & noui Testamenti conditore, quod Patris est Christo tribuens, dicat, [Quemadmodum Grammaticus eos quidem qui discere incipiunt, docet literarum characteres; iis autem qui illas didicerunt, præbet syllabarum cognitiones, alios autem docens quomodo sint coniungenda nomina, & alios quomodo sit in legendo seruandus accentus, non affert leges doctrinæ repugnantes, sed præbet ætati conuenientem disciplinam; Ita etiam Dominus Christus, dedit vnicuique generationi leges conuenientes. Necessarias enim & primas, conscripsit in natura hominum. Habet enim vnusquisque boni & mali discernendi facultatem, & dum facimus quæ pati nolumus, eo ipso prædicamus, nos scire id esse malum quod fit à nobis. Qui enim occidit, vel adulteratur, scit id esse malum quod facit. Non modò enim vult occidi, sed nihil etiam non facit, ne id ei pati contingat, & stuprata vxore, eum qui violanti turbile, accusat adulterij, & si contumeliam accepit, agit iniuriarum; & si cætera hoc modo examinauerimus omnes homines scire quod malum est malum. Eas ergo in natura inferuit Deus, qui nos fabricatus est; alias autem variè dedit, in vnaqueque generatione. Ad eam enim dedit legem de arbore; Noè autem legem de celi carnium; Circuncisionem verò Abrahæ Patriarchæ constituit; alias autem per Moysen magnæ Prophetæ conscripsit. In diuinis autem Euangelis, de paruis rebus latas leges, veluti quorundam elementorum meditationem, cellare faciens, leges dedit perfectissimas. Et sicut matres recenter natis infantibus mammam comminunt paulò post autem cibum dentibus euascent, solidum: Sic vniuersorum Deus iis qui illa didicerant, præbet perfectiorem disciplinam.]

Simplificum

*Simplicitas locutionis Christi docentis, à
Canonicis quoque Scriptoribus, & SS.
Patribus adamata.*

880 Eadem ex causa, & cum diuinæ planè
prouidentiae, Christus dimissis Verborum pha-
leris, stylo simplici & inculto dicendi genere
utebatur, quod is esse soleat fructui colligendo
accommodatior. Quid enim simplicius, etsi ex-
ternum dumtaxat corticem spectes, quid humi-
lius, oratione Christi Domini in vniuersis Euan-
geliis? Inde tamen nihil decedere maiestati
sententiarum, eoque admirabiliorem esse debe-
re Christum doctorem, qui cuiusque captui sese
accommodans, simplicitatem illam orationis
adamauerit, patere potest ex illis quæ disputat.
S. Cyrillus l. 7. in Iulian. ad textum 4. demon-
strans scripta Ethnicorum, hominum (vt Tertul-
lianus c. 47. Apolog. dixit) solius eloquentiæ li-
bidinosorum, non esse Scripturis sacris antepo-
nenda, eo quod cultius sint conscriptæ. Ibi que
inter cætera. S. Cyrillus adhibet elegantissimam
illam sententiam, [Si victoriam Græcorum ser-
monibus idem tribuit, (Iulianus) quod multa
apud illos sit ciuitas, apud nos item, respondeat
interroganti. Nunquid si quis aures cochleari
elleborum infundat, & alteri non aureo, sed ex
vilissima materia, apud laborem, hoc est mel
imponat, & sorbere iubeat quod placuerit, nun-
quid materias inspicies palmam dabit dæterio-
ribus, vel rectè iudicans vtile nociuo præ-
ferat, etiam si in vilissimo proponatur vas-
culo?]

Eius autem abiectio sermonum in tanta
rerum maiestate, causam quam tradidi, adhibet
quoque Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 5. cuius
hæc est insignis doctrina cum exponit thesau-
rum in vasis fictilibus. [Vide iam diuinam quo-
que sapientiam abiectis sermonibus & exemplis
temperatam. Nam si Deus, dignitatis tantum
sux rationem habuisset, ac non potius legen-
tium vtilitati consultum voluisset cœlestibus
profectis ac diuinis sermonibus & exemplis
vius fuisset. Quoniam autem hominibus, qui in-
firmi & inbecilli natura prædicti erant, atque hu-
manis verbis (sic enim ea, quæ ipsorum caprum
excedebant, intellectu facile consequi peterant,) opus
habebant, leges perscribere, batidicere rudi-
bus & incultis verbis cœlestes disciplinas tem-
perauit. vt & mulier, & puer, & omnium etiam
mortalium indoctissimus, ex ipsa quoque audi-
tione commodi aliquid perciperet. Siquidem
plebeiotorum ac gregalium hominum saluti pro-
ficiens diuinus sermo, tanta ob Legislatoris hu-
manitatem & benignitatem perspicuitate tem-
peratus est, vt neminem ea quæ ipsius viribus
respondeat, vtilitate priuet. Quanquam ne eru-
ditorum quidem commoda neglexit. Nam in
tanta perspicuitate, tam arcani sermones, velut
thesauri quidam insident, vt sapientissimi etiam
& eloquentissimi quique homines, ad senten-
tiarum profunditatem æstuent, animique verti-
gine afficiantur, atque etiam persæpe sapientiæ
magnitudini, vt quam consequi ac percipere ne-
queant, cedendum sibi esse ducant.] Hoc de
vniuersa quidem Scriptura valet, sed nomina-
tim de Testamento Nouo, qua ex parte Christi
dissertationes & sermones comprehendit.

881 Adamarunt semper eam loquendi sim-
plicitatem à Christo adhibitam, Christiani Do-
ctores omnes, quibus illud Chrysologi serm.
18. arrisit vehementer. [Verborum flosculos non
queramus, qui maturitatis fructum querit, des-
picit amœna camporum: violæ, rosæ, lilia, nar-
cissus, grati flores, sed gratior panis. Quod est
odor nasibus, hoc est, auribus sermonis ornatus;
quod dat panis vitæ, hoc scientia dat salutem. Se-
ponenda est ergo eloquentiæ voluptas, quan-
do scientiæ deponitur fortitudo.] Ita porro sim-
plicitatem locutionis adamarunt D.D. Christia-
ni, vt non modò styli squalorem, & locutionis
ruditatem, sed etiam errores Grammaticos, &
solæcismos non refugerint, dum captui lecto-
rum studiosius inuigilarent quam mani cultui
sermonis. Splendide in hoc argumento versatus
est Turrianus lib. 2. contra Magdeb. cap. 2. Pauca
addo. Apocalypsim solæcismis non carere, &
modis loquendi planè barbaris abundare, Dyo-
nysius Alexandr. notauit, vt refert Eusebius lib.
7. hist. cap. 20. in fine. S. Paulus profertur se im-
peritum sermone fuisse, sed non scientia; ita vt
quod S. Chrysostomus lib. 4. de Sacerdotio *sub
finem* considerat, quamuis subiecta verbis sensu-
rum fortitudine, esset munitissimus, tamen si
agatur de pigmentis orationis, videatur idiota:
qualem quoque eum, Ethnicis vocabant. Vide
solæcismos, quos apud eum notat Origenes in
Ioan. loco perillustri quem refert Turria. lib. 2.
pro Epist. Pont. cap. 2. & Gagneius 2. Cor. 8. n.
19. & ad Galat. 6. num. & ad Thessalo. 3. num.
1. Nimirum Apostolus, naturalibus magis quam
vulgatis, aut secundum artem vtitur verbis, vt
ait S. Ambrosius lib. de fuga sæculi cap. 3. Et
quod de his paucis diuinarum Scripturarum li-
bris dictum est, æquè de aliis ferè omnibus dici
poterat. Qua de re vide Origenem in Philoca-
lia, qui integrum caput in eo insumit, vt osten-
dat, non esse huiusmodi solæcismos corrigendos.
Neque verò egi hæc solæcismis &
nec Grammaticis, quibus interpretatio au-
thentica librorum Canonicorum obstita est. Ne-
ster. quippe, interpres, in rei intentus corticem,
Grammaticam plerumque despexit; & cum ex
Hebræo aut Græco aliquid vertit, sæpè casus
& genera primigenij textus retinet, etiam si mi-
nus Latinitati sint congruentia. Multa ad id
exempla profert. Ribera lib. 2. de Templo cap.
2. num. 9. Nimirum vt probè monuit S. Hierony-
mus Epistola ad Pammachium pro libris suis
contra Iouinia. Ecclesiastica interpretatio, etiam
si habet eloquij venustatem dissimulare eam
debet & fugere vt non otiosis Philosophorum
scholis paucisque discipulis, sed vniuerso loqua-
tur hominum generi. Nec dissimilia habet. in
Prologo aduersas abs se Origenis homilias in
Ezechielem. Merito autem Agobardus Opuscu-
lo contra Fredegisum Abbatem, exhibilauit ho-
minis supinitatem, qui ausus erat affirmare sa-
cro-interpretes nunquam in Grammaticam pec-
casse.

882 Extra Scriptores Canonicos, eorum-
que Interpretes, idem factitatum est ab aliis
Christianæ doctrinæ secundum Christum Ma-
gistris. Id aperio subiectis aliquot eorum senten-
tiis. Anastasius Sinaita cap. 3. *ad mæ.* [Si (vt proba-
bile futurum,) liber solæcæ quædam continet,
venia dabitur. Dum autem auctor tota mente,
& cogitatione insensu notando, & designando
L L l 3 defixus

defixus hæret, sæpè vñ venit vt solæcismos, & interpunctiones in postremis ducat.]

S. Hieronymus aduersus Heluidium. [Non quero eloquentiam, non flagito linguæ nitorem, animæ quero puritatem apud Christianos enim, solæcismus est magnus, & vitium turpe quid vel narrare vel facere. S. Augustinus idem sæpè & luculenter tradit. Sed concinnè in Psalmum 138. tractans illud, *non est occultatum os meum à te*. Ipse legit, *ossum*. Et hinc videns se peritis fore tñsui, inde videns periculum obscuritatis, ne populus os quo effamur, intelligeret, non os, quod est corporis fulcrum, deligit seruire vsui & fructui populi, ac cum Grammaticæ obliuione *ossum* dicere. [Sic enim potius loquamur, (inquit.) Melius est vt reprehendant nos Grammatici, quàm non intelligant populi.] Et lib. 3. de doct. Christ. cap. 3. agens de eodem Psalmi loco, post multa hæc habet. [Plerumque loquendi consuetudo vulgaris, vtilior est signandis rebus, quàm integritas literata. Mallem quippe cum barbarismo dici, *non est absconditum à te ossum meum*, quàm vt idè esset minus apertum quia magis Latinum est.]

S. Gregorius Epist. ad S. Leandrum proœmiali in expositionem suam moralem ad Iobum c. 5. siue in calce Epistolæ. Quæso vt huius operis dicta, percurrens, in his verborum folia non requiras, quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus instructuosa loquacitatis leuitas studiosè compescitur, dum in templo Dei nemus plantari prohibetur. Et cuncti proculdubio sciunt, quia quotiens in foliis malè latæ segetis culmi proficiunt, minori plenitudine spicarum grana turgescunt. Vnde & ipsam artem loquendi, quam magisteria diuina exterioris insinuant, seruare desepi. Nam sicut huius quoque Epistolæ tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem denoto, sitis motusque præpositionum, casusque seruare contemno: quia indignum vehementer existimo, vt verba cœlestis oraculi, restringam sub regulis Donati. Neque enim hæc ab aliis Interpretibus in Scripturæ sacre auctoritate, seruata sunt. Ex qua nimirum quia nostra expositio oritur, dignum profecto est, vt quasi edita soboles, speciem suæ matris imitetur.] Quem Metacismus hic dicit, Ioannes Diaconus lib. 4. vitæ S. Gregorij cap. 77. eum locum describens, legit *metacismus* estque vitium descriptionis, non autem pronuntiationis, vt perperam censuit à Cerdà cap. 132. Aduers. num. 6. ibi enim S. Gregorius agebat de Scriptura, non de oratione pronuntiata.

883. Appono Colophonem ex Arnobio, tametsi propositis proximè Patribus antiquiore. In lib. 1. contra Gentes num. 39. & 40. querentibus Ethnicis de Scriptorum Christianorum simplicitate; cum multa alia reponit, tum denique responderet in hunc modum. [Barbarismis, solæcismis, obliuiscuntur, (inquit.) res vestræ, & vitiis deformitate pollutæ. Puerilis sanè, atque ang. isti pectoris teptrehensio: quam si admitteremus vt vera sit abiciamus ex vsibus nostris quor. malam fructuum genera, quodd cum spinis nascuntur, & purgamentis aliis, quæ nec alere nos possunt, nec tamen impediunt perfici nos eo, quod principaliter antecedit, & saluberrimum nobis voluit esse natura. Quid enim officit ò quæso? aut quam præstat intellectui tar-

ditatem? Vtrū tunc quid leue, an hisuta cum acuitate promatur? Inflexatur quod acui, ac acuitur quod oportebat inflecti? Aut quid minus id, quod dicitur, verum est si in numero peccetur, aut casu, præpositione, participio, coniunctione. Pompa ista sermonis, & oratio missa per regulas, concionibus, libris, foro iudicialique setuetur, detorque: illis immo, qui volupstatum delinimenta quærentes, omne suum studium, verborum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur ab ostentatione submotis, quid dicatur, spectandum est, non quali cum amenitate dicatur, nec quid aures commoueat, sed quas afferat audientibus vtilitates; maxime cum sciunt, etiam quosdam sapientia deditos, non tantum abieciisse sermonis cultum, verum etiam cum possent ornatius atque vberius eloqui, vniualem studio humilitatem secutos, ne contempnerent scilicet grauitatis rigorem, & Sophistica se potius ostentatione iactarent. Enim verò dissoluti est pectoris, in rebus feris quætere voluptatem; & cum tibi sit ratio, cum malè se habentibus atque agris, sonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admovent. Retuli tam multa ex Arnobio, (quamquam rebus multo pluribus quæ in eam rem disponat,) vt constaret, quorsum Christiani Doctores, & primi fidei nostræ magistri, ipseque etiam Christus quem isti omnes imitatione exprimere conati sunt, de humilitate ac simplicitate sermonis, non fuerint solliciti illud duntaxat studiose captantes, vt qualiscunque esset testa verborum, margaritum pretiosum doctrinæ cœlestis contineret, conciliareturque eo amplior vtilitas ex tali disseminatione doctrinæ, quod ad plures per neglectum vocum & externi cultus abiectionem posset permanere.

Vis & efficacia simplicissima locutionis, Christi, & Sanctorum.

884. Sed illud in hac simplicissima & incomptissima docendi ratione à Magistro Christo inita, & ab eius Sæcutoribus adamata, fuit admirabilissimum, quod fortissima & ad perueniendum potentissima apparuit, ita vt præ Christi doctrina, etiam per alios quàm per Christum ipsum tradita, omnis humana sapientia, flaccida & eneruis sit visa. Quod Gregorius Nyssenus hom. 1. in Cant. *sub finem*, signatum à sponsa putat verbis illis, *meliora sunt vbera tua vino*, quæ verba sic glossat. [Omnis humana sapientia, & eorum quæ sunt, scientia, & omnis virtus contemplatiua, & mente comprehendens phantasia, per comparisonem non potest exquiri simplici nutrimento diuinorum disciplinarum. Lac enim floit ex vberibus, est autem lac nutrimentum infantium. Vinum autem propter vim & calorem fruendum perfectionibus. Sed tamen quod est perfectum in externa sapientia, minus est quàm diuini Verbi infantilis doctrina. Propterea vino humano, meliora sunt vbera diuina.] Idem confirmat Lucifer Calaritanus, si polita & pigmentata hæreticorum oratio, cum simplici Catholicorum dictione cõponatur. Sic enim habet l. quod moriendum sit pro Dei Filio, alloquens Constantium Imperatorem hæreticū [Scias utique ex hoc ipso, quantum interlit inter verum & falsum, quando ipse cum his, vt tibi videtur, peritus, habet aique dicatorum delin-

gnatum numerum, tamen persuadere nulli, nisi eis qui carnificinam tuam timuerunt te potuisse aduertramus. Nos vero quibus ad loquendum natura sufficit, alieni ab omni scientia, & hinc alieni literarum, ad omnem destruendam heresim valeamus, quia res ipsa ac veritas loquitur, tu ac tui adiutores literarum, & hinc aliam plenam auxilii artem. Nos sumus tantum sacras scientes literas, noster sermo est communis, contra vester politus, ornatus, qui etiam dici mereatur disertus, & tamen suadere dulcis, per artem quaeritus sermo vester, nulli potest Christianorum, nisi ei qui non sit, sed tantum dica ut, ut ei, qui cum sis lupus, vnus esse de ouibus ab inferis iudicari.]

S. Augustinus l. de vera Relig. c. 2. idem notauit quoad Platonem, [suauitorem (vt ait) ad legendum quam fortorem ad persuadendum. Nec enim verba vitæ habebat, quibus audientes inecaret, & de nolentibus volentes faceret.] Sed plenius in Psal. 140. tractans illud, *absorpsi sunt iunili Petra iudices eorum*. Vbi iudices electorum, interpretatur Reges ac Principes Philosophorum. Pythagoram, Platonem, Aristotelem, aliosque huiusmodi, ait ab ortos Petre Christo adiunctos, quia tandiu visi sunt aliquid dicere, quandiu Christus latuit. Reuelato autem Christo, omnis eorum sapientia & facundia, detecta est inanis & clumbris; itaque postea eorum, abiectionis magistrorum dogmatibus, amplexarentur Christi doctrinam, & pro ea sanguinem funderent. Itaque contestatur Psalter ex Christi persona, *Audient verba mea quoniam prauauerunt*; quem versiculum sic Glossat. S. Augustinus. [Præuauerunt verba mea, verbis eorum. Dicta sunt ab eis quedam diserte, sed à me vera. Aliud est laudare loquacem, aliud laudare veracem. *Audient verba mea, quoniam prauauerunt*. Vnde præuauerunt? Quis eorum comprehensus est in sacrificio, cum his legibus ista prohiberentur, & non negauit? Quis eorum comprehensus est adorare idolum, & non clamauit, Non feci, & timuit ne conuinceretur? Tales ministros Diabolus habebat. Vnde autem præuauerunt verba Domini? *Eccce ego mitto vos sicut agnos in medio luporum*. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius eum timere, qui corpus & animam potest mittere in gehennam ignis. Dedit timorem, subiecit spem, inflammavit charitatem; *Nolite* (inquit) *timere mortem*. Mortem timeatis? Prior morior. Ne vel capillus vester pereat, formidatis? Prius integer in carne resurgo. Merito audistis verba eius, quoniam præuauerunt. Ducebantur & occidebantur, cadebant & stabant. Et quid est factum de tot mortibus Martyrum, nisi ipsa verba præuauerent, & tanquam irrigata terra sanguine reuerentium Christi, pullularet ubique seges Ecclesia?]

885. Ex hoc item capite, Ildorus Pelus. l. 4. Epist. 28. Christianarum Scripturarum efficacitatem, præ libris philosophicis Græcorum Sapientum, egregie aperit. [Fugit, (inquit,) ratio Græcos qui non animaduertunt, se per ea quæ contra Christianos adferunt, seme ipsos euertere. Nam pro nihilo habendam aiunt Scripturam diuinam, tanquam scilicet barbaris vocibus constanter, & peregrinis nominum fictionibus compositam, & necessariis coniunctionibus ac velut vinculis orationis destitutam, & super-

fluatorum inculcatione, sensum eorum quæ dicuntur perturbantem. Sed ab his discant vni veritatis. Quis enim factum est, ut rustica ac simplex ipsa, eloquentia perualeret assensum? Dicant Sapientes, quomodo ipsa tantis laborans & barbaris & solæcis, tamen vincere potuerit erioem & falsitatem tam Attica instructam eloquentia? Quis factum sit, ut Plato ille Gentilium Philosophorum facile Princeps, ne vnum quidem vincere & in suas partes tradere potuerit Tyrannum; hæc autem rustica scilicet & barbara, & tot solæcis faciens veritas terram & mare sibi adiunxerit?]

Chrysostomus insigniter hom. de vno Legiflatore. Quia Dei (inquit) cognitionem verbis vilibus, & è medio petitis promulgat, *Euangeliū potentia* dicitur. Itaque Paulum disserentem aucta; *Non erubescio Euangelium: virtus enim Dei est ad salutem omni credenti*. Potentia siquidem tum demum verè elucescit, si qui ea in promulgat, rationes nequaquam humano iudicio congruentes adhibeat, & tamen orbem totum in suam sententiam protrahat. Atque hoc est quod Seruator ipsi Paulo dicit; *Sufficit tibi gratia mea: virtus enim mea in infirmitate persistit*. Neque enim magnum quippiam & illustre hoc fuisset, si Christus nuda sua natura diuinā in qua Verbi potentia spectatur, orbem illustrasset: sed quia in corpore constitutus, in corpoream & incomparabilem gloriam declarauit; hoc verò magnum & admirabile est. Non dissimiliter, de vocalibus dissertationibus Christianis, incompitis quidem, sed ad persuadendum efficacissimis, disputat proximè laudatus Ildo. Pelus ibid. epist. 40.

886. Præuauerat Origenes, & quoad Scripturatum, & quoad quatuorvis Christianarum disputationum simplicitatem, pelletrix animarum, egregie discens initio libri 6. contra Celsum, qui Platonium orationis cultum prætulerat. Egregie quoque lib. 7. *post medium* celebrat in eadem incompta doctrina, puritatis & castimonie decus, præ sapientia Ethnica. [Videre (inquit,) licet, istos sapientie proflores edere magna stultitiæ specimina, dum post egregias illas disputationes in scholis agitata, de Deo rebusque intelligibilibus, mutant gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis hominis corruptibilis, atque etiam volucrum, quadrupedum, reptilium. Quapropter & ipsi à providentia deprehensi non dignè cognitione sibi reuelata viuere, voluntur in concupiscentiis suorum cordium & imputatibus, dedecorantes sua corpora lasciuia & turpitudinibus, quod veritatem Dei mutant in mendacium, & venerati sunt coluerintque creaturam magis quam creatorem. Caterum homines idiotæ, ab eis pro nihilo habiti vt stulti & illiberales, si modo committant se in fidem Dei, & doctrinam Iesu recipiant, tantum absunt ab omni lasciuia, spurcicia, turpitudine libidinum, vt in morem perfectorum Sacerdotum ab omni coitu abhorrentium, multi eorum in totum castè purèque viuunt, alieni à congressu mulierum, etiam legitimo. Et apud Athenienses quidem, vnus Poniifex, ne ipse quidem satis sibi fidens quod imperare possit masculis cupiditatibus, cuncta obliuiscitur, putatur satis idoneus ad castè obeundas eius ciuitatis solemnes ceremonias: at apud Christianos, non desunt viri quibus ci-

cuta

cuta ad hoc nil opus est, ut Deo caste seruiant, sed pro cuncta eis Verbum Dei sufficit, ad expellendas è cogitatione omnes concupiscentias, & vacandum precationibus. Apud alios quoque ut putantur Deos, Virgines exiguae numero, siue ab hominibus custoditæ, siue non, (nec enim hoc nunc quaritur) videntur perseverare in castitate, religionis gratia: Cæterum apud Christianos, non propter humanos honores, non propter mercedes pecuniarias, non propter glorias, viget Virginitatis studium: & quamprimum approbaverunt Deum habere in notitia, conferuntur à Deo in hac mente laudabili & pietatis officiis, pleni omni bonitate & iustitia.]

Hæc tanta doctrinæ Christi fortitudo, etiam cum non ab ipso fonte, sed per adiunctos veluti tubos permanat, multo auctior fuit, cum immediate profundebarat à Christo, cuius tanta erat in dicendo suavitatis, & plusquam nectarea facundia, ut miratos fuisset omnes in verbis gratiæ quæ procedebant de ore eius, scribit S. Lucas cap. 4. quod pulchrè illustrat Bondinius lib. de Iesu Christi claritate & gloria cap. 10. Alibi autem ministri cum venissent Christum vincituri & alligaturi, ac daturi in carcerem, eo audito aded commutati sunt animo, ut reuocantes ad principes Sacerdotum, & Scribas à quibus missi fuerant, non aliam redderent eius non abducti causam, quam summam eius in dicendo facultatem, ut refertur Ioan. 7. nunquam, (aiebant) scilicet locus ut homo. Nimirum quia ut est apud Matthæum cap. 7. Christus loquebatur sicut potestatem habens, & non sicut Scriba eorum & Pharisei. Ut iam nullo loco possit haberi Hercules ille Gallicus, quem aureis catenis bracteate orationis, astrinxisse auditores, commentus est Lucianus: nec non Orpheus ille, qui præcantus sui, idest melicæ orationis suavitatis, feras quoque ipsas demulsi. Id enim verè præstitit Seruator & Magister noster ut Clem. Alex. initio Protreptici præclare tradit.

Subita eruditio, informatorum à Christo Magistro.

887 Illud insuper in modo docendi sapientissimi huius Magistri, fuit planè admirabile, quod citra auditorum laborem, doctissimos illic & eruditissimos, potuit exhibere discipulos. Quam exiguo enim spatio, Christus de crucis cathedra, (ut S. Augustinus serm. 87. de diversis appellat) Magister bonus, latronem erudit. [Crux illa (inquit) schola erat. Ibi docuit magister latronem. Lignum pendens, cathedra factum est docentis.] Docuit autem illum illi huc usque aded rudem rerum diuinarum discipulum, tam grandia, tamque sublimia mysteria, quibus non possint cogitari sublimiora: de Christi scilicet diuinitate, & regno, de remissione peccatorum in sanguine ipsius, de fructu poenitentiae, & alia quæ suo loco expendimus. Matthæum item & Paulum, quam subito sublimissimam Theologiam docuit, citra ipsorum laborem, & executionem ingeniorum, quanta in parandis humanis disciplinis necessaria est, quantumlibet nauis & peritis magistris quis vtatur? Et idcirco Philo Iudæus initio libri de somniis, mysticè (ut solet,) exponens digressionem Iacobi à puteo iuramenti, puteum iuramenti in quo fodien-

do tantoperè laborandum fuit, interpretatur humanam scientiam, inuentam, & paratam operosissimam, & ut Sapiens rectè affirmat, & appellauit, *peissimam occupationem* idest molestissimam, & arduosissimam. Nimirum ut idem Hieronymus Plato egregiè dissertit, de Iacobi. Abelis & Caini, longe aliter se habet Deus, ad magistrum, & imbuendos disciplina animos eorum quos erudiendos suscepit; aliter verò homines, quicunque tandem sint illi. Non possunt enim præceptores, quemadmodum qui in vas infundunt, implere mentem eorum qui introducuntur. Sed quando fons sapientiæ Deus, scientias tradit humano generi, sine mora facit, & ex tempore. Tum verò homines discipuli facti erant qui solus est sapiens, summa celeritate quod querebant inueniunt. Addit egregia multa de celeritate verbi Dei, & quod illi dictum & factum idem sit. Ut mirum esse non debeat, si aded promptè & abiecta cunctatione, instruit plerè & perfectè quem in disciplinam admittit. Christus itaque diuinus Magister & Deus verus, ea prærogatiua diuini Magisterij & Deus verus, ea prærogatiua diuini Magisterij in docendo potitur, quam Deo esse præcipuam, nec inhumanos Magistros cadere, rectè aduertit Philo.

Et quidem, citra plagas.

889 Spectare item ad modum docendi Christo præcipuum potest, quod non sicut pulsim qui aliorum Magistri audiunt, ad discendum verberibus & inflatis plagis vigeat, quod olim multipliciter fecisse Magistros, videre est apud Theatrum Cresolij l. 5. cap. 6. & 7. idem quoque fecit Moses, Synagoga Prædagogus, plagus reuera orbilius. Sed cum doctrina hæc Magistri nostri, sit doctrina amoris, quotquot in disciplinam suam admittit, inescat potius suauitatis & benedictionibus dulcedinis, quam terrore suppliciorum. Quæ causa est, ut eius doctrina & magisterium, in Scripturis dicatur *in dilectio*, ut apud dilectum Discipulum *in dilectio* vos de omnibus. Et alibi eodem sensu, *sub lingua eius mel & lac* esse dicitur. [O quis mihi det, exclamat Richardus Victorinus annot. 2. in Psal. 118.] hunc habere magistrum, qui discipulos suos non tam lædit, quam linat, nec tam pungit, quam vngit, quia vinctio eius docet nos, de omnibus. Quo mihi ad huc magistri quoniam erudiunt mentem, nisi prius lacerent carnem. Sufficiunt Domine, sufficiunt vulnera à latronibus imposita, qui me spoliauerunt, & plagis impositis abierunt seminiuo relicto. Sed ecce adhuc magistri nostri apponunt iniquitatem super iniquitatem eorum, addentes verbera super vulnera, vendentes pro verberibus verba. Eant, eant, recedant, recedant Doctores nostri; verè autem tortores nostri vani, & insani, docentes & desipientes. Illum quero, illum desidero, qui me erudiendo inungat, vngendo erudiat.]

Nec hoc dico, deesse isti Magistro virgam disciplinæ, de qua sibi à Deo impensa, gratulatur sæpè David: gratulatur quoque Autor sermonis de baptismo apud Cyprianum, sic Christum Magistrum affatus. [Audio te cum irascaris, audio cum misereris. Sine parcis, siue flagellis, iustum & bonum te prædico: In ira te supplico, in clementia gratias ago, nec sanctis sermonibus contentado. Loquere, Magister bone, libenter te audio.]

audio, & cum aduersaris mihi, etiam in plagis & doloribus intelligo disciplinam: nec latet me te docente, ad succidendas corruptionum mearum putredines prodesse cauterium, & mundare cicatrices veteres sal. disciplinae tuae, Euangelio tuo medente infusum. Praecipis ut infundam corrupto pulmone hyssopum, & spiritus tui suauitate epota, totius malignitatis inflatio detumescat. A te Deus bone humilitatem discentes, quasi mansueta animalia quieto gressu te baiulamus seclorem; nequaquam sub hoc onere lassitudinem, sed quietem inuenturi: quia uigum tuum non est graue, sed leue: & lex tua, & testimonia iustitiae & praecepta, timor & iudicia, delectabilium in se rerum continent sacramenta.]

Virga igitur emendantis interuentum, cum res fert, non diffiteor: sed eam virgam, eodem quo uinctionem loco habendam statuo: cum David quoque testetur, hanc virgam & baculum, ipsa consolari, & magna perfundere suauitate eos, qui sic emendantur. Clemens Alex. l. 1. Pedagog. c. 7. in fine, eam virgam Christo tribuit, & describit qualem dixi, consolatoriam & salutarem eius haec est oratio, postquam uerba Moysis commendantis Prophetam à Domino suscitandum, de Christo Magistro accipienda docuit, tamen extremam specie & in primo literae ueluti cortice, ad Iosue pertinere admittat, tanquam ad Christi imaginem. [Nomen Iesu, quod in lege praedicabatur, erat adumbratio Domini. Subiungit itaque, quod populo uile futurum erat consulens: *ipsum audietis*, (dicens,) *Et homo qui non audierit Prophetam hunc*, ei minatur. Tale nobis praedicat nomen salutaris pedagogi. Propterea ei virgam adiungit Prophetia, Virgam disciplinae, imperij & potestatis: ut quibus uerbum suadens & admonens non medetur, eis minae medeantur. Quibus autem non medentur minae, eis uirga medebitur. Quibus uero uirga non medetur, eos ignis depascit. *Egredietur*, (inquit, *Virga de radice Iesse*. Vide pedagogi curam, sapientiam, & potestatem: *Non secundum opinionem*, (inquit,) *iudicabit, neque secundum loquelam arguet, sed iudicabit humili iudicium, & arguet peccatores terrae*. Et per David: *Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me*. A Domino enim castigari, & tanquam à pedagogo etudiri, est à morte liberari. Et dicit per eundem Prophetam: *In uirga ferrea pascet eos*. Ea quoque motus Apostolus in Epistola ad Corinthios, *Quid uultis*, (inquit,) *in uirga ueniam ad uos, an in dilectione & spiritu lenitatis?* Sed etiam *uirgam potentia emittet Dominus ex Sion*, dicit per alium Prophetam. Pedagogica autem haec uirga tua & baculus tuus me consolatus sunt, & dixit aliquis alius. Haec est Pedagogi potestas, ueneranda & grauis, consolatoria, salutaris.]

Christi, cum magnis seculi Magistris, collatio.

890 Fuit ergo Christus, Magister optimus, & praeter omnibus qui unquam Magistrorum nomen & decus affectarunt, magistri titulo dignissimus. Quis enim Magistrorum nomen iis iure arroget, mentem nubilantibus, ut S. Paulinus iure cum Aufonio expostulat?

Theoph. Raynaldi de Attrib. Christi.

*Qui corda falsis, atque uanis imbunt e.
Tantumque linguas instrunt,
Nihil adferentes ut salutem conferant,
Quod ueritatem detegat:
Quid enim tenere, uel bonum aut uerum
queant,
Qui non tenent summa caput?
Veri bonique fontem & fontem Deum,
Quem nemo nisi in Christo ride?*

Pulcherrime in hanc sententiam generatim disputat Petrus Cluniac. l. 1. Epistol. 9. auocans Magistrum Petrum, à studiis Humanae Philosophiae, ut operam poneret in Christiana doctrina & Christum (quem uocat *Magistrum totius mundi schola praesidentem*,) desertis uaniloquorum Ethnicae sapientiae Magistrorum libris audiret.

Sed attingamus aliquos ex praecipuis, in particulari. Mercurium Trismegistum, Physicorum omnium magistrum denominat Tertullianus lib. contra Valentin. c. 15. & fuisse inter seculi sapientes omnium iudicio eminentissimum, compertum est ex S. Augustino l. de 5. haeresibus cap. 3. & ex Lactantio l. 1. Instit. cap. 6. ac Cyrillo l. 1. in Iuliam, *sub finem*. Pleraque in eam rem proferre memini in Prologo Natur. Theologiae num. 63. Hunc tamen tantum Magistrum, S. Augusti. iudicio Caesestini Papae Magister optimus, maximae omnino insipientiae reuincit 8. Ciuit. cap. 23. & 24. monstratque de numero eorum fuisse, quorum insipiens cor est, obsecratum, & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt.

Secundum Mercurium, Pythagoras ab Ethnicis Magister eximius est habitus: ita ut dicat etiam Saluianus l. 1. de Prouid. [Pythagoram tanquam Magistrum suum Philosophia ipsa suspexit.] Lymphatur uero in eius laudes Iamblicus in uita Pythagorae, cum ait, Pythagoram datum esse à Deo, Deum sub humana forma, Magistrum humani generis, ne nouitate perturbati homines, doctrinam eius efugerent. Huic tamen in speciem adeo insigni Magistro. Tertullianus praeter labem affectatam apud Tyrros tyrannidis, quam ei inuit cap. 46. Apolog. mendacitatem quoque, & periculi in suae doctrinae diuulgatione impingit lib. de Anima c. 28. uerèque adeo delira, de se prius Euphorbo prodidit, ut iure Lactantius l. 3. Instit. c. 18. eum nominet, senem ineptum, moxque etiam senem uanum, qui sicut otiosae aniculae solent, fabulas tanquam infantibus credulis sinxerit. Qui si bene sensisset de iis quibus haec locutus est, si homines eos existimasset, nunquam sibi tam petulantem mentiendi licentiam uendicasset. Itaque concludit Lactantius, deridendam esse hominis leuissimi uanitatem: addo etiam Magicam improbitatem. Nam fuisse Pythagoram, planum improbissimum, & Magum nefarium, S. Cyrillus testatur, ex quo id notare memini in Natur. Theologia d. 4. num. 279. & confirmat fufius Franc. Picus lib. 1. Exam. uanit. doct. Gent. cap. 2.

Platonem, post Pythagoram, uenerata est tanquam Magister eximius, Ethnica sapientia, ut dixerit sanè S. Ambrosius l. 2. de Abraham. cap. 7. Platonem esse Philosophiae patrem. Altiùs etiam ac magnificentius, Philosophorum

M M m Deum

Deum nominavit Tullius. Ab Arnobio lib. 2. column & sublimis apex Philosophorum, indigitatur. Profero alia in hanc rem in prologo Natural. Theol. à num. 74. nec pauca Lipsius lib. 1. Manuduct. differt. 4. Quanta tamen huius Magistri fordes fuerint doctrinæ, doceo in Morali cum de amore. Tradit etiam accuratè Theodoretus, lib. 9. & 12. aduersus Græcos.

Tandem ne per plures excurram, Aristoteles, Auerrois iudicio, finis humani intellectus, norma & exemplar ingeniorum, miraculum hominis potius quam homo habendus est. Nec hunc tamen, Magistrum optimum, aut cum Christo villatenus componendum, admiserit Sannius quispiam: cum constet, eum præterquam quod inani ferè minutiloquio, laborat, ut ei sæpè obicit Tertullianus, non pauca etiam docuisse falsa, imo quædam quoque nefaria, & homine rationali indigna, nedum Philosopho.

Itaque mirum non est, horum patriciorum Philosophorum & Magistorum primariorum discipulos, audito Christo, priores Magistros abiectisse, & Christo se subiecisse nouo modo erudiendos, & noua doctrina imbuendos. Quos esse pisces maris, perambulantes aquoris semitas, subiectos Christo à Patre, præter oues, & boves, & pecora campi, id est simplices Christianos, pte omnino commentatur S. Augustinus in Psal. 8. *sub finem*. Nec mirum. Horum namque Magistri anteriores, cum de terra essent, terrena locuti erant. At Christus cælestis Magister, cuius cathedra cælum est, (ut ait idem S. August. *serm. 22. ex 40. nouis & serm. 123. de sanctis in uio*, ubi eius cathedram in cælo, scholam in terra statuit: quod imitatus est S. Bernardus *serm. 3. de S. Andrea*;) tradebat cælestia; eoque modo tradebat, ut vel reluctantes pelliceret, & quantumuis efferatos condoceretur, ac cicuraret.

Solum Christum, Magister.

§91 Multum id quidem, ut Christus præ omnibus, Magistri decus & ornamenta possideat, quod hæcenus demonstratum est. At Rich. Victorinus Annot. 2. in Psal. 118. *sub finem*, & ante eum S. Augustinus etiam altius tem prouehit, eo libro quem de Magistro scripsit eo fine, (quod ipse lib. 1. *Retract. cap. 12. testatur*), ut doceret Magistrum non esse, qui docet hominem scientiam, nisi Deum secundum illud etiam quod in Euangelio scriptum est, *unus est magister uester Christus*. Libri illius cap. 14. ex eo probat, nullum reuera purum hominem, esse alterius hominis magistrum, quod hoc sit Magister esse, infundere doctrinam. Hæc autem non aliter possit ab homine infundi, quam propositione ordinata cogitationum suarum de re quapiam. Eas namque cogitationes cum exceperit auditor, & apud se considerauerit, verasque esse suo Marte perspexerit, doceri & discere dicitur. At hoc reuera non est doceri, & doctrinam haurire, sed nudam terminorum notionem excipere, permissa deinde cura Auditoris ingenio ut circa illos terminos negotietur, & statuatur verè an secus de eorum nexu pronuntiandum sit ab eo qui Magister audit. Ut autem ipsam per se nexum terminorum, & certum de eis iudicium auditori imprimat qui Magister dicitur, fieri hu-

mana arte non potest. Potuit autem à Christo effici, & verè effectum est: quid dicitur, in schola cordis alta & secreta docere dicitur. Hoc est uerè de S. Augustinus cap. 10. 14. eruit, quod solum Christus sit verè & propriè Magister. (At ista omnes (inquit) disciplinas, quas se docere profitentur, ipsiusque virtutis atque sapientie cum verbis explicauerint, tum illi qui discipuli uocantur, utrum uera dicta sint, apud semetipsos considerant, interiore scilicet illam ueritatem pro uiribus intuentes; Tunc ergo discunt. Et cum uera dicta esse intus inuenerint, laudant, perficientes non se Doctores potius laudare quam doctos, si tamen & illi quod loquuntur sciunt. Falluntur autem homines, ut eos qui non sunt, magistros uocent; quia plerumque inter tempus locutionis & tempus cognitionis, nulla mora interponitur. Et quoniam post admonitionem sermocinantis citò intus discunt, foris se ab eo qui admonuit, didicisse arbitrantur. Sed de uita uilitate uerborum, quæ si bene considerentur non parua est, alias si Deus fuerit, requiremus. Nunc enim ne plus eis quam oportet tribuamus, admonui te: ut iam non cederemus tantum, sed etiam intelligere inciperemus, quam uerè scriptum sit auctoritate diuina, ne nobis quenquam Magistrum dicamus in terris, quod unus omnium magister in cælis sit. Iste inferius, Adeodatus collocutor, in libri clauula, sit profiteretur eo se Augustini disputatione prouocatum ut hoc agnosceret, à quo uerè doceamur. Ego uerò didici admonitione uerborum totum, nihil aliud uerbis quam admoneri hominem ut discat, & perparum esse quod per locutionem aliquanta cogitatio loquentis appareat. Vnum autem uera dicantur, eum docere solum, qui se intus habitare cum foris loqueretur, admonuit.)

Quid quod, ne ipsam quidem terminorum expositorem perceptionem, præstate discipulis possint, qui *magistri* dicuntur? Pene quotidie (inquit Philo l. de congressu) plena sunt theatra & auditoria: & Philosophi sine respiratione de uirtute copiose uerba faciunt. Sed quænam est horum sermonum uilitas? Cum enim deberent attendere, auocantes animum, quidam de negotiatione ac negotiations, quidam de agnitione & rebus, quidam de honoribus & Republica, quidam de lucri ex officio, quidam de plebiscitis inimicis, quidam de amoribus, omnes de aliis rebus cogitant: ut quantum ad tem presentem attinet, surdi sint, corpore tamen occupantes suum locum; peregrinantes animo, & nihil differentes à statuis ac imaginibus. At hic Magister, attentos præstare potest auditores, si bique cum liber, certam apud eos audientiam facere. Pulchrè in hanc rem S. Thomas *serm. in Dom. 22. post Pentec.* qui est de Christi præcellenti magisterio.

VSVS MULTIPLEX

Doctrina de Christo Magistro.

I.

Gaudendum de tali Magistro, & studendum sub eo nauiter.

892 **H**abemus Christi Magistri præcellentiam, imo singularia & planè præcipua Magisterij decora. Est in primis quod de tanto Magistro nobis diuinitus concessio lateatur, ut monet Petrus Venerab. in calce sermonis de Transfiguratione, verbis illis. [Gaude pretiosa portio creaturæ cæli: lætare quia non viliisti in conspectu Dei. Noli ultra sequi viam erroris, à quo te reuocat præceptum doctoris. Esto docilis auditor, quia perfectus est tibi datus præceptor. Ne contemnas tantum doctorem, ne expectaris sui contemptus ultorem. Acquiesce in terra docente, vt conregnare possis in cælo sedenti. Neque enim aliter ibi Regis obtinere poteris gloriam, nisi hic audias Magistri doctrinam. Nam qui ibi Rex apparebit excelsus, hic primùm apparuit Magister benignus. Magister apparuit, sicut ipse cælestis Magister discipulis ait: *Non vocemini Magistri, quia Magister vester, vnus est Christus.* Hunc tibi hodierna die Magistrum dedit Pater, quando de cælis clamauit. *Ipsum audite.* Audite (inquit) Ieuin, vt filium meum; audite eum vt verè Deum; audite vt summum doctorem; audite eum vt vitæ largitorem. Audistis olim serpentem, & amisistis Paradisum; audite nunc Saluatorem, & possidete cælum. Audistis hostem, & incurristis mortem; audite vitam & redite ad vitam. Est enim vera vita, iste filius meus, quia est vt est vt ego, & ipse, verus Deus. Credidistis tunc illi falsam promissionem diuinitatem, credite nunc isti veram danti felicitatem. Audistis callidum deceptorem, audite benignum præceptorem.]

Ita planè, quoniam iuxta S. Ambrosium initio secundi de Virginibus, primus docendi ardor, nobilitas est Magistri, est quod incendamus cupiditate excipiendi doctrinam tanti Magistri, & in ea progressionem semper facere maiores, vt cum adierit tempus examinis, & reposceretur nauati studij ratio, non simus vt sic dicam, probro, ei qui nos docuit, quantum quidem est ex nobis. Nam quantum eius decus sit vndeunque immatressibile, tamen non stat per discipulum ignauum & torpentem, qui Magistri corona esse debuerat, vt sæpè loquitur Apostolus, quominus Magister, nauus licet, & omnibus optimi Magistri muneribus exquisitis erga discipulum perfundus, suffundatur rubore, ob malè collocatam & perditam operam, nullo extante eius pretio. Exprobantem malis suis discipulis Christum, & quod non profecerint mera sua culpa vrgentem, suè inducit autor libri de malis Doctoribus. Et est profectò copiosa obiurgationis materia, non proficere sub tali magistro, iuxta illa S. Chrysost. ho. 3. 1. in Gen. initio. [Quomoddò non fuerit absurdissimum, quod à pueris

Theoph. Raynandi de Attrib. Christi.

lis nostris quotidie à scholis redeuntibus perimus, quid ampliùs discendo profecerint, & adiecerint (neque enim sineremus eos frustra & absque vtilitate in scholam ire, nisi fructum ampliorem inde consecuturos videremus) nos autem qui iustam ætatem habemus, & in spiritualibus scholis sumus, non par illis studium exhibemus, maxime cum hæc in luctum & salutem animarum spectent.]

Itaque quod Pater, hunc doctorem mundo proponens in Baptismo & Tranfiguratione, dixit, ipsum audiamus. Egregiam horum verborum ponderationem, subiicio ex Oratione S. Augustini de S. heres. cap. 7. sic enim habet. [Ecce vox de nube dicens. Omnes audiamus, nemo aures claudat. Audiant Pagani irrisores, audiant Iudæi persecutores, audiant Manichæi phantasmatum somniores, audiant heretici errorum litigatores, audiant & maxime audiant etiam Catholici, fideles Dei cultores. Isti audiant vt instruantur, illi vt corrigantur: aut isti audiant ne subducantur, illi ne puniantur. Quid dicit vox de nube?]

Et inferius. [Domine, audiamus quid dicis de filio tuo: *Hic est*, (inquit,) *filius meus.* Vide in terra hominis Filium, audi de cælo Dei esse filium. Meus delectus, in quo mihi benè complacui; Et quid aliud? *Ipsum audite.* Deo gratias. Innotuit præceptum Dei, & remotum est consilium Petri. Gratias tibi Deus, gratias tibi vera & vna Trinitas, vna & etina veritas, etina & vna vnitas, gratias tibi Deus Pater, qui & Filiū tuum ostendisti, & mihi doctorem dedisti. Recedat Sabellianus, recedat Arius, recedant ceteræ pestes, cedat omnis iniqua doctrina. Doceat Deus, non iniquus Arius: doceat Dei filius, non filij aduersarius. Dic Domine meus Iesu; doce, discam quod doceam.] Hoc vnusquisque nostrum, alloquendo Magistrum optimum, dicat. Sic Magistro sapientissimo audientes erimus, sic eius doctrinam amplectendo feliciter beabimur.

II.

Succensendum ingratis ignauisque Christi discipulis.

893 Quam verò deterrima sorte ij sunt, qui adeo eximij Magistri documentis nihili factis, adamant potius peregrinam doctrinam, & contraria planè iis quæ ab eo traduntur à Magistris erroris & falsitatum propolis, cupide hauriunt? [Scolarem Dei (ait Philo de sacrific. Abelis & Caini) impossibile est tolerare præceptionum las mortalium.] Qui igitur audivit, vt quos Dei sapientiæ eruditum venit, mortalium peruersa dogmata, & magisterium erroris diuinos Christi Magisterio anteponan? Vnde illud tam ardens studium circa doctrinas demoniorum & sæculi leges, eorum verò quæ à Christo tradita sunt dogmatum, tanta conculcatio? Indicit Magister nequam pruriens auribus, à *Magistro Magisterum iniquitatis*, edoctus; (sic Satanam nominat Theodoretus Dialogo 3.) de superbia de carnis cura in desiderijs, de acervandis inuiliū opum immenso cumulo, lectiones: Auidè omnes in eas incumbunt, cum tamen sint pestiferæ, & in animæ certum exitium & mortem cedant. Sed Christi doctrinam subleuantem ani-

MM in 2 mas,

mas, & laborantium exoneratricem, torpent omnes, & vix est qui eam admittere inducat in animum. Et humanas quidem disciplinas ita omnes capeamus, ut errorum contrariorum illicd pudeat, quamvis neque tanti sint reuera, neque damnum ex eis existat, nisi in hominum existimatione. De erratis vero aduersus leges celestis discipline, pauci sunt solliciti. Hanc esse maximam miseriarum nostrarum causam, S. Augustinus 1. Confess. cap. 18. his verbis deplorat, studia sua iuuenilia, & quae in eis peccarat, describens. [Quid autem mirum quod in vanitates ita ferebat, & à te Deus meus ibam foras, quando mihi imitandi proponebantur homines, qui aliqua facta sua non mala, si cum barbarismo aut solacismo enuntiaret, reprehensi confundebantur; Si autem libidines suas, integris & ritè consequentibus verbis copiose ornatèque narrent, laudatè gloriabantur?] Rursusque pauld post. [Vide Domine Deus, & patienter ut vides, vide quomodo diligenter obseruent filij hominum pacta literarum & syllabarum accepta à prioribus locutoribus, & a te accepta aeterna pacta perpetuae salutis, negligant: ut qui illa sonorum vetera placita teneat aut doceat, si contra disciplinam Grammaticam, sine aspiratione primae syllabae *minem* dixerit, displiceat magis hominibus, quam si contra tua praecepta hominem oderit cum sit homo.] Egrege quoque mox ibidem. [Cum homo eloquentiae famam querit astans ante hominem iudicem, circumstante hominum multitudine, inintus suum odio immanissimo infectans, vigilantissimè cauet, ne per linguae errorem dicat, *inter homines*, & ne per mentis furorē hominem auferat ex hominibus, non cauet?] Videndus insuper lib. 2. doctor. Christ. cap. 13.

Simili sensu, in huiusmodi non probos discipulos coniebat Richardus Victorinus in Beniamino Minore cap. 46. scribens de male verècundantibus. [Qualis putas pudor est, erubescere paupertatem, erubescere humilitatem? Illud non pudet eos erubescere, ad quod docendum, non puduit celestem magistrum de caelo descendere. *Discite à me*, (inquit,) *quia mitis sum & humilis corde*. At isti è contra, magis abominantes quàm sectantes humilitatem, multo amplius erubescunt habere sordidam vestem, quàm sordidam mentem. Quàm multi hodie sunt quos magis puderet in oratione fecisse barbarissimum contra regulam Prisciani, quàm protulisse mendacium in suo sermone contra regulam Christi? Sed quid hæc de istis loquimur, qui sæpè sua etiam crimina iactant; quandoquidem illi etiam qui spirituales videntur hunc pudorem haud facile superant? Sæpè dum in prædicationis officio proximorum utilitati deferuiunt, dum fortè contra superbiam disputant, contingit eos sæpè superbire, unde constat eos contra superbiam subtiliter disserere. Et si fortè inter loquendum (quod fieri solet,) breuem accentum producerent, magis eos fortassis punderet de vitio orationis, quàm de vitio elationis.]

Virga discipline non refugienda.

894. Est præterea officij nostri, docilem & patientem culturæ animum præbere. Nam interdum, ut virga discipline admoveatur necesse est; Et tunc plerumque accidit, ut male moratus discipulus exacerbetur, & disciplinam fastidiat. [I] non sunt discendum mores, (ait Nyssenus Orat. in agere ferentes repreh.) neque obedientia discipulorum, sed seditionis & pugnae contentio. Puelli enim vicem discipulus subire debet, qui artem vel scientiam aliquam de externis desiderauerit: qui verò pietatè tractatur, maiori cū accessione infans esse debet, ut cum etiam Dominus, illam ætatem veluti ad obedientiam paratam, suis ipsius laudibus ornauerit. Atqui puellus non insurgit in characteres & lineamenta quæ præceptor in cetera inscripserit, neque noua molitur elementa, aliquid noui in literis licentia stolidi attentans, sed primam graphio in notis præceptoris manum exercet: nomina verò non alia ex elementis colligit, quàm ea quæ audiuit; sed omni modo, ratione ac opera, magistri traditionem imitatur. Quod si, quando negligentiùs quid egerit, eritque eius verberibus afficiatur, plagis commax non efficitur, neque perfractis tabellis à magistro abit, sed aliquandiu dolori amarus instillans lachrymas, disciplinam adhaeret, refaturque acrior in meditatione, non autem negligentior euadit. Alias rursus si tanquam iuuenis ac nouus, patrum rem curat, à cibis abstinet, iubetur & famis poena propter focordiam damnatur: permanet verò in ludo, etiam solus, alius ad prandium discendentibus pueris, præceptor religiosè obseruans. Christianus autem non sic qui audiuit tamen, *Nisi conueriamini, & quæsi puelli sitis, non intrabitis in regnum celorum*. Dicendum cum Autore sermonis de Baptismo, apud Cyprianum *sub finem*. [Loquere magister bone libenter te audio, & cum aduersariis mihi, etiam in plagis & doloribus intelligo disciplinam: nec latet me, te docente ad secundas corruptionum mearum putredines prodelle cauterium, & mundare cicatrices veteres sal disciplinæ tuæ; Euangelio suo medente insulsum.]

Adhibenda ad examen, preparatio.

De examine ad finem prælectionum, & promotione subsecutura, locorumque congruentium distributione per hunc Magistrum, actum cum de iudicio, post Gulielmum Parisiensem. Hic adduco Robertum de Sorbona, de Conscientia cap. 18. sic enim scribit postquam à cap. 7. contulit vltimum nostrum examen, cum examine promouendorum ad gradus in Academicis. [Cancellarius non audit omnes qui licentiam in propria persona, sed facit eos audiri ab aliquibus aliis Magistris. Multi autem benè respondent coram aliquibus simplicibus, qui malè respondent coram Cancellario, petterunt & suspensæ propter magnitudinem suæ sapientie. Exemplum de Monacho qui erat electus in Abbatem & præsentatus fuit à suis Monachis.]

Guardo Episcopo, qui voluit eum examinare, sicut mox suus erat de omnibus. Non parcebat aliqui, & dedit ei Missale, docens; verte in quamque parte volueris: Et electus stupefactus & tremens, sicut tremis folium super arborem quando ventat fortius, vix potens tenere librum, dixit, ad quid verteret in libro? Nihil scio in illo. Et dixit Episcopus, quod erat Missale in quo multoties legerat; non enim erant Priora, aut Posteriora, vel decretales, vel leges. Qui respondit, quod nec in Missali, nec in alio libro aliquid sciret dicere, nec in suo *Pater noster*. Quasi fuit Episcopus, quare: qui respondit, quod pro timore quem habebat de illo Episcopo pro magnitudine scientiæ suæ, cum esses vnus de maioribus de mudo. Et rogauit Episcopi, vt istā gratiā ei faceret, quod faceret eū audiri ab aliquibus sociis suis, quia melius se haberet coram sociis Episcopi, quā coram Episcopo. Quod concessit ei prædictus Episcopus. Sed ecce Deus in die iudicii, omnes singulariter examinabit in propria persona, & in plena Vniuersitate; nec alij committet, aliquo modo, cuiuslibet sit scientiæ. Ad scientiam cuius Dei, nulla est comparatio prædicti Episcopi, vel cuiuscunque magni Clerici. Psalmographus; *Sapientiæ eius non est numerus*. Et Ioannes: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio*, id est iudicium de omni Iob: *Omnipotens singulorum causas diligenter intrat*. Si ergo ita stupefactus fuit, & ita timuit Monachus coram prædicto Episcopo, quid faciemus in die iudicii, vbi non erit querela de Abbatia vna, sed de regno Paradisi, & patibulo Inferni, in quo nulla est redemptio.]

V.

Audiendi etiam, suspecti à Christo Magistri.

895 Caterum quod Christus ita per seipsum obuiert magisterium de quo hætenus, vt tamen etiam doceat, & qui organa quæ ad id submittit, audit; Christum ipsum docentem audiat; tradit perpulchrè Origenes hom. 32. in Lucam *initio*. [Cauet, inquit agens de iis qui docentem Christum audierat, ne beatos illos tantum iudices, & te arbitris priuatum esse doctrinæ. Si vera sunt quæ scripta sunt, non solum tunc in congregationibus Iudæorum, sed & hodie in hac congregatione Dominus loquitur; & non solum in hac, sed etiam in alio coetu, & in toto orbe docet Iesus, quærens organa per quæ doceat. Orate, vt me quoque, compositum ad canendum, aptumque reperiat. Sicut enim quærit omnipotens Deus Prophetas, eo tempore quo propheta morales indigent, & inuenit; Verbi gratia, Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, Danielem; sic quærit Deus organa per quæ doceat sermonem suum, vel erudiat populos in Synagogis eorum, & glorificetur ab omnibus.]

Sic ergo Apostolos audiens, Christum ipsum audit; sicque vnus est magister noster, quamuis verè dicatur S. Petrus *Magister inter Magistros* à Cassiano lib. 3. de Incarn. cap. 12. de eodem, & B. Paulo, ita S. Bern. sermone 1. in eorum festo. [Hi sunt magistri nostri, qui à Magistro omnium vias vitæ plenius didicerunt & docent nos vsque in hodiernum diem. Quid ergo docue-

tunt, vel docent nos Apostoli sancti? Non piscatoriam artem, non sœnofactoriam, vel quidquid huiusmodi est? Non Platonem legere, non Aristotelis versutias inuolare, non semper discere, nunquam ad veritatis scientiam peruenire. Docuerunt me viuere. Putas parua res est, scire viuere? Magnum aliquid, imo maximum est. Non viuunt qui superbia inflantur, qui luxuria sordantur, qui cæteris inficitur pestibus; quoniam non est hoc viuere, sed vitam confundere; & appropinquare vsque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto, & mala pati, & bona facere, & sic perseverare vsque ad mortem. Dicitur vulgo, quia *qui bene depascit, bene vivit*, sed mentia est iniquitas sibi: quia non bene viuunt, nisi qui bonum faciunt.]



CAPVT IV.

Christus sol iustitiæ, Lux mundi, Autor & consummator fidei.

ET hic quoque titulus, ad Magisterium pertinet. Cum enim sit duplex docendi modus; vnus propositione doctrinæ vocè, aut scripto, alter qui ad res morales accommodatissimus est, exemplo & factis, par fuit Magistrum vndeunque perfectum, docendis bonos mores mortalibus diuinitus prouisum, vtroque illo modo doctrinam suam expromere, quod & præstitit. Et inde, ratione posterioris modi docendi, denominatur *sol iustitiæ*, (nempe vniuersalis, virtutes omnes comprehendens); & *lux mundi*. [Non vtique lux visibilis, (ait S. Ambrosius Epist. 11. sed animarum quæ in hoc mundo sunt, intelligibilis claritudo, quibus se splendenti lumine rationabili infundit prudentiæ; & vt prædicatur in Euangelio, incorporea virtutis inflammans vapore cetera mentium, animorumque penetralia.] Eodem item referendum arbitror, quod Heb. 12. Christus appellatur *autor & consummator fidei*. Sed regestemus singula.

Christum, exemplo quoque docere, congruentissimum.

896 Primum, par fuisse eiusmodi nobis iustitiæ Doctorem obtingere, qui factis & exemplo doceret, fusè confirmari lib. 3. f. 1. cap. 1. agens de fine aduentus Christi ad nos docendos. In quam rem; longum & perpulchrū Lactantij aduersus Ethnicos argumentum pro Christo doctore, Deo corporato, protuli, & communiui. Nunc addere possumus aliud argumentum ex illa Lactantij disputatione lib. 5. inst. c. 18. vbi Lactantij iustitiæ malè patrocinatum præfatus, quia caput ipsum fontemque iustitiæ non tenebat, subdit, [Nobis autem facilius est ipsa defensio, quibus cælesti beneficio familiaris est, ac penitus nota iustitia est: quanquam illam non nomine sed te nouimus. Nam Plato & Aristoteles, honesta quadam voluntate iustitiam defendere cupierunt: effectissentque aliquid, si conatus eorum bonus, si eloquentia, si virtutem ingenij diuinarumque rerum doctrina inuisset. Itaque

M M m 3 opus